

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal
DECRETUM**

Prot. N. 34622/03 CG
Nullitatis matrimonii

In causa, de qua supra, Tribunal N. die X edixit constare de nullitate matrimonii in casu, ob “*defective convalidation on the part of the Respondent*”. Mulier conventa adversus praefatam sententiam appellationem ad Romanae Rotae Tribunal proposuit. Decreto diei Y Turnus rotalis coram R.P.D. Z causam ad ordinarium alterius gradus examen admisit.

Die W dubium concordatum est hac adhibita formula: *An constet de nullitate matrimonii, in casu, ex capite defectus novi actus voluntatis ex parte mulieris conventae in matrimonio convalidando (can. 1156 §2; 1157 CIC)*. Mulier conventa Patronum ex officio recepit, sed, bis citata, novam depositionem reddere recusavit. Supplemento instructionis peracto prodiit coram R.P.D. J die K decisio sententiae primi gradus conformis.

Rev.mus Romanae Rotae vinculi Defensor die A novam causae propositionem expostulavit, quam vero die B Turnus coram R.P.D. C censuit “*admittendam non esse, in casu*”.

Die D idem Defensor vinculi adversus reiectionem novae causae propositionis ad H.S.T. provocavit.

Quem recursum Rev.mus H.S.T. Defensor vinculi substitutus prosecutus est atque, tandem, Rev.mus Promotor iustitiae ad causam deputatus die 9 novembris 2005 votum pro rei veritate exhibuit.

Quibus praehabitis:

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

Nova causae propositio post duplicem sententiam conformem in causa de statu personarum concedi potest “novis iisque gravibus probationibus vel argumentis ... allatis” (can. 1644 §1);

Nova argumenta allata esse debent gravia, quatenus decisionum reformationem saltem probabilem reddant, quin necesse sit ut sint gravissima, multoque minus decretoria, quae scilicet contrariam decisionem peremptorie exigant;

QUOAD IUS APPLICANDUM

Pro comperto habito quod matrimonium de quo agitur Codicis Iuris Canonici anno 1917 promulgati [=CIC17] praescriptis regitur;

Attento quod:

– «matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma» (can. 1137 CIC17; cf. can. 1160 CIC83);

– matrimonium ad normam can. 1137 CIC17 (cf. can. 1160 CIC83) contractum regitur praesumptionibus de quibus in cann. 1014 CIC17 (cf. can. 1060 CIC83) et 1086 §1 CIC17 (cf. can. 1101 §1 CIC83);

Considerato proinde quod:

1. matrimonium ad normam can. 1137 CIC17 (can. 1160 CIC83) contractum praesumitur validum «donec contrarium probetur»;

2. «internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis» (can. 1086 §1 CIC17; cf. can. 1101 §1 CIC83);

3. convalidatione matrimonii ad normam can. 1137 CIC17 (can. 1160 CIC83) peracta, praesumi debet, donec contrarium probetur, partes aliquo saltem modo scivisse matrimonium anteactum validum non haberi; itemque, donec contrarium probetur, praesumi debet eas novum consensum praestitisse;

4. ad nullitatem matrimonii declarandam defectus consensus in casu ideo probari debet per sueta criteria;

QUOAD FACTA DILUCIDANDA

Pro comperto habito quod decretum, quo haec causa ad ordinarium examen admittebatur, plura facta altius inquirenda decrevit atque nonnulla dubia certius solvenda, quodque vero ex sententia impugnata id factum non videtur;

Praetermissis ceteris forte ad rem animadvertendis;

Viso art. 122, n. 2 Const. Apost. *Pastor Bonus*;

Visis artt. 64-67 Normarum H.S.T. specialium;

Re sedulo perpensa in Congressu, coram infra-scripto Praefecto die 23 novembris 2005 habito,

decrevit:

Novam causae propositionem in casu concedendam esse atque facto concedi.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis,
die 23 novembris 2005

† Augustinus VALLINI, *Praefectus*
† Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*